



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118898

§. 21. Guilielmi Estii mors, ejusque elogium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)

men carceribus inferri, reumque Sæc. XVII.
causas non præjudicari, sed discerni. A. C. 1613.
Haud diu tamen recuperata liberioris
aeris facultate frui poterat Bathorius,
Repentina morte sublatus. Hoc item
anno die vigesima Julii Pragæ obiit Hen-
ricus Julius Brunsvicensium Dux.

§. XXI.

*Guilielmi Estii mors, ejusque elo-
gium.*

Inter celebratiores illius ævi Scripto-
res, qui hunc annum sibi exitialem
habuere, primo loco recensendus venit
Guilielmus Estius, patricio genere Gor-
comii in Hollandia natus, qui Trajecti
humanioribus literis, Lovanii autem
in Collegio Falconensi Philosophiæ ope-
ram dedit, quam etiam integro decen-
nio ibidem cum summo Auditorum
applausu tradidit. Theologiæ autem
in eadem Academia Anno Christi mil-
lesimo quingentesimo octogesimo Doctor
creatus, & Duacum vocatus Regii Se-
minarii Rector, ac paulopost ad San-
ctum Petrum, Præpositus, necnon Uni-
versitatis Cancellarius nominabatur;
demum vero pietate, modestia, do-
ctrina, atque in pauperes beneficentia
insignis Literarium otium nunquam
nisi tandem mortis necessitate interrup-
pit,

*Miræ Script.
Sæc. XVII.
Swert. Ath.
Belg. Dupin.
Bibl. de
Auth. p. 45.*

Sæc. XVII. A. C. 1613. pit, vivis ereptus Duaci die vigesima
 Septembris anno ætatis suæ, septua-
 gesimo secundo. Porro Lovanii agens
 novæ D. Augustini operum editioni Lo-
 vaniensi insudabat: postea vero Histo-
 riam Martyrum, quos Gorcomii Cal-
 vinistæ trucidarunt, edidit: descripsit
 quoque mortem Guilielmi Goudii, &
 Cornelii Mussii Minoritarum, quorum
 postremus Lugduni Batavorum Anno
 Domini millesimo quingentesimo secun-
 do Martyrii coronam adeptus est. Præ-
 terea scripsit Estius quosdam Sermo-
 nes Theologicos, Elogiam in liberta-
 tem Religionis, quædam Poemata &
 dissertationes de cera, quæ vulgo *A-*
gnus Dei: vocatur, verum præter plura
 alia ejusmodi opuscula edidit commen-
 tarios in quatuor libros Sententiarum,
 de quibus celebre hoc elogium judicium-
 que fert Dupinus, quod optandum fo-
 ret, ut juniores Theologi diligentius
 hoc opus evolverent, atque exinde pu-
 riora Theologiæ principia haurirent:
 Non minori pretio ab eruditis habetur
 ejusdem commentarius in omnes Epi-
 stolas Divi Pauli, quod opus sicut &
 omnes ejusdem commentarii ab ipsis
 Protestantibus ob modestiam & erudi-
 tionem commendantur, atque adeo ab-
 soluta sunt, ut solus hic Author hoc
 in genere sufficere videatur: Eodem
 erudi-

eruditionis laude illustrabat epistolas Sæc. XVII.
 Canonicas usque ad caput quintum e- A. C. 1613.
 pistolæ primæ S. Joannis, quod opus
 Bartholomæus de Petra complevit.
 Denique ejus *annotationes in præcipua ac*
difficiliora Scripturæ loca minus ad eno-
 dandas Sacræ Paginæ difficultates,
 quam ad instituendos mores accom-
 modæ videntur; quippe hunc in se la-
 borem susceperat Estius, eo fine, ut
 Duacensibus Seminaristis Doctrinas
 Christianas, quas oretenus instillabat,
 scripto relinqueret: eapropter Petrus
 Berullus Cardinalis Patribus Oratorii
 serio inculcabat, ut hoc opus, sicut
 & ceteras Estii lucubrationes assidue e-
 volverent: Denique digna tanto Ma-
 gistro fuit illa Estii sententia, quod *sine*
cognitione Historiæ Ecclesiasticæ non possit
esse perfectus Theologus. Ceterum Estii
 operum editio nulla celebrior, quam
 Parisiensis, labore Horstii anno Salutis
 nostræ millesimo sexcentesimo septua-
 gesimo nono adornata.

§. XXII.

*Petri Villarsii Viennensis Archiepi-
 scopi extrema.*

Ad hunc annum Miræus refert obitum *Possev. App*
 Petri Villarsii, qui ex Mirapicensi *lit. P.*
 Episcopo Viennæ in Galliis Archiepi- *Miræus l. c.*
Hist. Eccles. Tom. LV. P scopus